DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS; manè discutienda in Scholis Medicorum, die Mercurii undecimâ mensis Decembris, anno Domini M. DCC. LXXI.

M. JOANNE-FRANCISCO-CLEMENTE MORAND,
Equite, Anatomes, nec-non artis obstetricæ in Matronarum gratiam olim Professore, Castrorum & Exercituum Regis nuper Medico, Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensis Socio ordinario, iis etiam quæ Stokolmiæ, Matriti, Florentiæ, Rhotomagi, Lugduni, Florent adscripto Regii Medicorum Nanceianorum Collegii Socio Honorario, in Leodio, civitatis jure donato, simul & Collegii Medici Assessore Honorario, Doctore Medico, Præside.

An prægnantibus crebrò periculosa catharsis, absque Medici consilio instituta?

I.



EX fœtu in utero contento orta gradatim uteri simul & abdominis intumescentia *graviditas* nuncupatur. Hæc si integrâ conceptionis σημειωσι confirmata, tactu imprimis, debitâ methodo, debito tempore instituto perspecta sit, vera tunc censetur; & quidem una deinde conspirantibus, muliere gravidâ, & fœtu maturo, ejus fit naturalis exclusio *partus* seu puerperium dicta, totumque id tempus quod à genito intùs infante, ad exclusionem interest, *gestatio* nuncupatur; fœtum verò in utero gerens mulier *prægnans* dicitur. Imprægnationem sequitur ut plurimum menstruorum imminutio aut cessatio & tunc πληθωρα, haud tamen inde statim ægrotat *prægnans*. Mulieris gravidæ status à naturali vix deflectit, quamvis morbus novimestris dicatur graviditas: ne te decipiant, tristitia, morositas, oculorum languor, cibi fastidium, nauseæ, vomitus; procellæ istæ quibus sæpissime solummodo per consensum in primo gestationis tempore quassatur œconomia animalis, dum passive extenditur uterus, prolem futuram potius quam morbum imminentem denuntiant; nec nisi vehementior perstet functionum læsio, propiore periculo premitur mulier aliunde vegeta; plerumque enim post tertium gestationis mensem (dum uterus ejusque vasa distendi assuescunt) hæc à tertio ad ultimum gestationis mensem paulatim vel remittunt, vel evanescunt phœnomena, & subsequens graviditatis tempus alacriter percurrit prægnans: quin imo salubri succussatione, fundi collique uteri dilatationem apprime juvant, aut nimiam humorum in viscerum & uteri vasis deprimunt turgescentiam; periculo igitur ut plurimum vocat οργασμός ille; haud tamen inde Medici curam in posterum respuat prægnans. Uberior, prioribus præsertim graviditatis temporibus, sanguinis copia supprimitur, quam quæ in fœtus alimentum abit, in utero partim stagnat, partim in corporis habitum refluit, sic tunc plurium morborum causa remota exurgit πληθωρα, licet supponatur legitima, tantò magis si spuria jam existat aut lapsu temporis fiat.

I I.

QUALISCUMQUE ergo prægnatem afficiat πληθωρα, hæc sibi relicta, cephalalgiam, aliaque ex sanguine in superiora congesto oriunda serius ocius ve accersit, mox illam excipit humorum δυσκρασια, hinc mille ægritudinem miserandum omen, quod nisi Medici manus avertat, tristem & asperam sortem, non solum à primo gestationis stamine, sed ad partum usque, & in puerperii decursu miseræ mulieri intentat undique malorum ilias ambagiosa. Ad

fœtus nutrimentum & augmentum utilis πληθώρα, in prægnantis damnum facilè vertitur, in utriusque incolumitatem si moderata, in utriusque exitium si immodica cedit; peritè qua propter & intra metas cohibenda, sic multorum mensium angores, sic partûs futuri molestiæ leviores fiunt. Sanguinis missione & catharsi tempestivè suspensâque manu celebratis hunc scopum attinges. venæ-sectionem indicant majorem tunc assecutus molem uterus, iliacis ac mesentericis vasis premens, indeque præcipitem defluentis sanguinis impetum sistens, adeo ut hujus in partes superiores refluxum pariat. Suadent insuper cephalalgia, stupor, lassitudo spontanea, convulsivus extremitatum torpor, pervigilium & alia quæ primos gestationis menses stipant: hanc demum imperant prægnantis temperamentum, hæmatodes, appetitus conservatio, firma corporis compages, color faciei rubicundus, pulsus plenus rigidusque. De sanguinis mittendi tempore, de secandæ venæ delectu, solus etiam judicet Medicus. Vasis itaque pro mulieris viribus, pro cæteris circumstantiis primariò depletis, superest plethoræ proles humorum ακαθαρσια, quam profligare haud minus interest. Facilis & expedita præsto est via, quæ sensim & ex naturæ voto humores discutit earumque pravam διαιτεσιμ arcet, victus nempe lex idonea vivendi modus, legitimus rerum non naturalium usus, sic πληθώρα vis tutò & jucundè infringitur: desidiosum verò sexum non itidem suadebit Medicus: in his præscribendis operam perdet; paucis arrident mulieribus simplicia hæc monita. Motus inimica gentis femineæ maxima pars, otium otio diversimodè ludit; lecto cubiculo quasi mancipata, omnis generis esculentis & potulentis indulget; hinc sanguinis spissitudo, hinc humorum lentor in sexu suâ naturâ debili jam & effœto, functionum imbecillitas plenissima, indeque non purissimo sanguine, sed ponderosâ colluvie reficitur in illiorum protundis hospitans embrio. Onustum ergo arte levandum est corpus; quis neget inquies? Salutarem hanc cautelam optime callent adhibentque inconsulto Medico mulieres omnes: fateor equidem, ast heu! quam multis luctuosa & amara sæpè fuit tùm matribus, tùm infantibus hæc inops consilii Medici cautela. De istis casibus dolebit sanè, at non stupebit homo æquissimus: ex verâ medicinæ notitiâ ex circumstantiis, aliisque simul adjunctis, ita pendet pharmaci etiam benigni tuta & secura applicatio, ut illam, ritè non servatis servandis irritam vel periculosam præsentiscant omnes. Infaustissimè experti sunt multi, afferunt authorum observationes (*a*) Ad Medicos ergò confugiendum, quis etenim circa prægnantis conditionem, pensitendas circumstantias, tutiùs ac rectiùs advertet, quam Medicus in pharmacorum proprietate cognoscendâ, dosi præscribendâ, utendi ratione dirigendâ, opportunâque temporis aut momenti occasione arripiendâ, prudens ac peritus?

III.

ILLAS autem quæ catharsi instituendâ generatim observandæ sunt leges, sanctius & religiosius in prægnantium statu imprimis tenendas callet insuper Medicus. Neque enim vincenda hic, nec superanda, sed solum deprimenda est plethora; cum reverâ, copiâ tunc luxuriantes humores absque fœtus & matris periculo violenter eliminari nequeant, « earum » portionem catharsi molliter detrahere juvat, reliquias deinde, aut natura, aut epicrasis *in-* » *terpolata* commodiùs & tutiùs expellunt. » In hanc agendi rationem saniores artis iatricæ canones omnino inclinant, illam præcipit status gravidæ mulieris quæ injurias vel levissimas vix impunè fert. In prægnatione, fibræ laxiores, humores fluidiores catharticis faciliùs movendæ: in fræquentissimâ catharticorum tùm simplicium, tùm compositorum familiâ præstò sunt ad libitum pharmaca, quæ biliosos, quæ serosos excrementitios & vitiosos succos è corpore eliminare valent: ast ea non eadem vi, sibi proprios effectus exernut, alia minori virtute prædita alvum benigne lubricando emolliunt, alia majori stimulo fibras sollicitant lacessuntque, alia demum acriori ac vehementiori facultate vellicant & irritant; vitandum etiam est juxta mentem divini Senis tempus calidius, si ex cautelâ solummodò, purgans prægnanti adhibeatur; cœlo enim æstuante, uberiori perspiratione lassata jam corpora, sanguineus latex ad excandescentiam prædispositus catharticorum motum interdicunt; adde quod ex celeberrimi obstetricantis notatu, æstu magis fervent mulieres cum gravido utero potiuntur quam cum vacuo (*b*). Medicinam ergò prægnantium includunt sequentia lemmata. 1°. Prægnantes pur-

(*a* Vid. fatos quos in perniciem traxit solum simplex aposema purgatorium ex fumariâ cum sennæ foliis temere exhibitum. Heurnius in commentar. ad Aphor.

(*b*) Art des Accouch. par M. André Levret, Paris 1761, ch. 3. art. 2. sect. 14.

gabis, si materia turgeat quadrimestres, & usque ad septimum mensem, sed has minus (c). 2°. In muliere purgandâ, spectanda est prætertim cœli, diei, anni benigna temperies. * 3°. Ex catharticorum classe ea solummodo prægnantibus exibenda, quæ corpus parum concutiunt.

I V.

IN hoc tamen adhibendo præsidio, suo quisque remigio sponte se gerit, consuetudini vulgari, cæcutienti experientiæ parere nulla dubitat mulier, quin & ad necessitudinem privatarum ad oblectamentorum sæpè, vel ad palati arbitrium & criterium, inconsulto Medico quæquæ componitur. Palato muliebri etragatur odore ingrato vel sapore nauseabundo fastidiosa sorbitio, huic boli vel pillulæ catapotis sufficitur, faucibus quidem & ori delicato, nullatenus verò prægnantis conditioni aptata. Exiguâ plerumque mole dotatum catapotium purgans, collectis quasi viribus, violentius agit; hujus insuper veluti basis & corpus existunt aloetica, diagrediata, aliæque hujus farinæ pulveres resinosæ: harum minutissimis particulis minimâ dosi drasticâ vi pollentibus frustrà addes corrigentia, igneâ suâ acredine calorem intendunt, humoribus æstuantibus faces admovent; vi heroïcâ vividiorem intestinorum motum, & hipercatharses intempestivè excitant, fibrasque omnes aderethismum in graviditate jam pronas vividiùs irritant: quot in machinâ maternâ tumultus, tot ipsi matri, tot infanti semina mortis comperitè. Uterus pars nervosa musculosa, elasticitate præditâ, in contractionem mox ab irritatione internâ adducitur; eo magis contractiles uteri gravidi fibræ, quo magis extenduntur, si ergo diagrediatis, aloeticis vellicatus nimis insurgat ventriculus, si ductus intestinalis sensu donatus exquisitissimo, omnibusque ferè abdominis partibus nervorum interventu consentiens, torminibus convellatur ab hipercatharsi, nervorum contractioni subditus uterus, irritatur, distrahitur, hinc subsequens coarctatio vel potiùs convulsio: succutitur placenta, & sanguine ad ipsum violentius determinato solvitur; inde fœtûs immaturi ante diem præscriptam oritur exclusio, uno verbo abortus pronuntiandus. Alia bene multa impendent excidia. Ab immodicâ & repetitâ actione, spiritibus vi dereptis infantis matrisque vires collabuntur, perit in utero fœtus; prosperè insuper succedente partu, haud minus in periculis versatur puerpera. Væ igitur vobis ô prægnantes quæ catapotium purgans voratis confidentissime! intimis visceribus ignes mittitis suppositos pulveri doloso.

V.

AST omnes insurgunt qui gravidis & parturientibus operam præstant, reclamant & etiam prægnantes ipsæ, quasi ridiculum affectare dominatum medicina contenderet: quid ergò, inquiunt: catharsi mihi opus est, ex proprio usu mihi perspectus est bolus vel haustus purgans, temperamento congruum certè scio; inutilis igitur in catharsi instituendâ Medici assensus. Graviter erras, Medici vel peritissimi indiget solertiâ gravidarum status; ex nisu, erethismo, concussu vel minimo & purgante etiam simplici, seu ut aiunt communi placentæ separationem, colli, vel orificii uterini distensionem, fœtûs exclusionem mortem denique illius, & tuammet ipsam oriri posse scias In his ergò de capite agitur; ex eo quod non solum anceps sed valde periculosa res est medicamentorum spontanea & ad nutum applicatio, pluribus senatûs placitis edicitur, ne ullum ore sumendum pharmacum, nisi ex Medici præscripto, & ab eo subsignato in manum cuilibet tradant Pharmacopæi (d); funestæ eidem imprudentiæ prospiciunt, tùm in nostrâ Galliâ (e), tùm in extraneis nationibus (f) Collegiorum & Facultatum statuta Medica. Si verò amica respuitis consilia si legibus recalcitratis pervicaces ô nimium concives, plurimis saltem discite ab exemplis, quam acerba vobis & vestris esse possit vestra inscitia, audacter dicam dementia, quam verò salubre sit hac in re Medici consilium.

Quidni lugentes etiamnum conspicere, quærentes audire possitis familias, quarum almas parentes è medio sustulit purgans spontè deglutitum vel haustum. Germanam heu nobis ante

(c) Hippocr. Aphor. 29. sect. 5.

* Sub canis ortum & ante canis ortum molestæ sunt per medicamenta purgationes. Aphor. 5. sect. IV.

(d) Arrêts du Parlement du 3 Août 1536, du 4 Juill. 1599, du 23 Juillet 1748.

(e) Statuta Facultatis Medicinæ Parisiensis, Remensis art. 38. Collegii Medicorum Lugdunensium, art. X.

(f) Statuta amplissimi Magistratus Bruxellens, Medicos, Chirurgos, Pharmacopæos concernentia, art. 8. Réglement du College des Médecins de Liége, art. 7. concernant les Apothiquaires. Mandement du Prince George-Louis, publié au Peron de Liége le 19 Avril 1741.

alias dulcissimam, florentibus annis, sic olim delirantem, mediisque in sponsi cognatorumque planctibus, sepulchrali mulctatam saxo, oblivisci nunquam licebit (g). Quò usque tandem sapientissima lex, quæ domesticam securitatem tuetur inepta seu & absurda videbitur servitus? nonne potius omni dignâ veneratione & gratitudine habenda est saluberrima lex, civium commodis unicè sacra, quæ tristissimos præcavet eventus, quæ patres filiis, filios patribus & matribus, amicos amicis, cives civibus & societati sospitare nititur? Cives non sui sunt sed Reipublicæ, nec tibi licitum est sanitatis & vitæ periculum adire. Publici interest aiebat celeberrimus quondam in supremâ curiâ advocatus Regius (h), non modo ne cives rebus suis malè utantur, sed ne in vitæ discrimen imprudentes currant. Reverâ quidem, quam sæpè multi cultrum in corde sibi defigerent incauti, si ad cujuscumque postulatum aut nutum vendere possent Pharmacopæi? Infinitis aliis de rebus, quarum integra & libera linquenda videtur optio, magistratibus cautum est. Cibis, medicamentis, pannis ad nutum utitur unusquisque domi, at privata ista licentia legum arbitrio & magistratuum curâ sic regitur vel remittitur, ut quæ singulatim disturbare contendunt cives incauti ab edictis prohibeantur, aut difficiles in propatulo evadant. Desinat ergò rerum suarum attenta, prolis, conjugis, amicorum piè studiosa mater, desinat prætiosum suis ævi spatium in ludum conferre: ab ardelionum nugis, à malè sanis amicarum hortamentis hac in re caveat, Medicum adeat, consilium ejus poscat, & attentè cogitet, quam maximè, quam gravissimè, in rationem utilitatis publicæ cedat nostra conclusio.

Ergò prægnantibus crebrò periculosa catharsis, absque Medici consilio instituta.

(g) Relation de ce qui s'est passé dans une Assemblée du College de Médecine de Lyon, le 5 Juillet 1751.
(h) Plaidoyer de M. l'Avocat Général Talon, extrait des Registres du Parlement, 1 Mars 16,4.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Jacobus NOLLAN.

M. Carolus-Geille DE SAINT-LEGER, *Eques, Consiliarius Medicus Regis ordinarius, primi ordinis & totius Equestris agminis in exercitu Medicus primarius.*

M. Petrus-Augustinus ADET.

M. Ludovicus-Petrus-Felix-Renatus LE THIEULLIER, *Saluberrimæ Facultatis Decanus, Regis Consiliarius & in Majori Consilio, necnon in magnâ Regiæ Domûs & Franciæ Præfecturâ Medicus ordinarius.*

M. Antonius GARNIER.

M. Jacobus BARBEU DU BOURG, *Regiæ Scientiarum Academiæ Stokolmiensis & Societatis Regiæ Monspeliensis Socius.*

M. Petrus-Ludovicus-Maria MALOET.

M. Jacobus-Lud. ALLEAUME, *Militarium Nosocomiorum ad Regis Exercitum, necnon in Insulis Americanis nuper Medicus Regis, rei Herbariæ Professor designatus.*

M. Joannes-Jacobus MESSENCE.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS CAROLUS-HENRICUS MACQUART, Remus, Doctor Medicus Remensis, nec non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1771. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis *Quillau*, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1771.